



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. LVIII. Juris Bartizandi. Inquiritur, an Religiosi habeant Jus baptizandi,
aut in suis Ecclesiis admittendi söminas pro Benedictione post Partum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](#)

CONSILII LVIII. JURIS BAPTIZANDI. 625

multa pendat viginti Marcas Auri , pro una semiisse Fisco Cæsareo , pro altera Partibus Societatis applicandi . Si vero Societas benignè cum eodem Reo hodierno agere , & Exemplaria , quæ juxta sçpē memoratum Privilegium optimo Jure vindicare sibi posset , condonare eidem velit . 4. Ipse post debitam Satisfactionem Societati ob Violationem Privilegii huic indulti datum , compellendus erit , ut tam pro hoc

Opere ita edito , quam aliis Libris , quos fortassis edere cogitat (quod tamen pro Libris saltem iis , qui de Religione tractant , puto minimè concedendum) Licentiam à P. Provinciali Germaniae Superioris petat , cāmque omnibus suis Exemplaribus præfigat , cujus Executio per Mandatum Cæsarum Commissariatui , Francofurti Negotiis Librorum præposito demandetur .

CONSILII LVIII.

De Jure Baptizandi , & Purificatione post Partum .

SUMMARIUM.

1. seqq. *Facti Species.*
2. Extra Casum necessitatis solus Parochus licet baptizat Infantes Parochianorum suorum.
3. Baptismus regulariter conferendus est in Ecclesia.
4. Parentes peccant , qui offerunt Prolem baptizandam Sacerdoti , non proprio Parochio.
5. seqq. Soli Parochi possunt admittere Pueroas pro Benedictione post Partum .
6. seqq. Saculares intra Septa Monasterii decedentes , sepeliendi sunt in Ecclesia Parochiali , præscindendo à specialibus Privilegiis.
7. seqq. Nullus , nisi Parochus proprius aut de ejus licentia potest assistere Matrimonii.
8. Circa Ius sepeliendi pleraque Religiones habent Privilegia :
9. Salva portione Canonica Parochiali .
10. Privilegium baptizandi , in Ecclesiis suis , vel assistendi Matrimonii non facile concessum legitur Regularibus , nisi habeant Ecclesias Parochiales .
11. Privilegium ad instar supponit valorem illius , ad cuius similitudinem concessum est .
12. 25. Privilegium assistendi Matrimonii est revocatum à Tridentino .
13. 27. Privilegia quantum præjudicant Juri quasito tertii , absque Clausula derogatoria , habentur pro ob - vel subreptitiis .
14. Valent Privilegia , qua derogant Juri communi :
15. Nisi Ius commune tali Privilegio resistat ;
16. Item nisi agatur de Communicatione Privilegiorum in genere , sub qua non comprehenduntur Privilegia extraordinaria .
17. Considerandus est tenor Indulti , quo communicantur Privilegia .
18. Privilegium sepeliendi familiares facilè obtinent Regulares :
19. Secus Privilegium baptizandi Infantes Familiarium .
20. Facultas administrandi Pœnitentia , Euchæristia , & alia Sacraenta , Regularibus quibusdam concessa , quomodo intelligatur .
21. Parochus Principalis præsente Vicario perpetuo non potest se ingerere in Administracionem Sacramentorum .
22. Divisio Parochiarum non fit , si unus satis facere potest Obligationibus Curæ Pastoralis .
23. Gratia aliis Ecclesiis concedi solent cum Clausula : Salvâ Justitiâ Ecclesie Parochialis .
24. Hac tamen Privilegia examinari debent , an non sint ob - vel subreptitia .
25. Et peti potest , ut audiatur Parochus .

FACTI SPECIES.

I. **E**cclæsia Parochialis N. à tempore omnem hominum memoriam excedente , est , fuitque semper in Possessione quieta Juris baptizandi Infantes domesticorum , aut famulorum Venerabilis Monasterii ibidem existentis , natos intra , R.P. Schmalzgrueber Conf. Tom. I.

vel extra muros , aut septa ejusdem in illius Domibus , vel Officinis . Juris hujus Actus Possefforii in antiquissima Matricula , seu Libro Baptizatorum , inchoatō Anno 1605 . (antiquior enim nullus extat) inveniuntur septuaginta septem , nimirum viginti octo respectu eorum Infantum , qui intra muros Monasterii ex domesticis , & famulis ejusdem nati sunt , & quadraginta novem respectu eorum , qui extra illius Septa in Domibus ,

Kk kk

626 C^{ON}SIL^{IUM} LVIII. JURIS BAPTIZANDI.

mibus, & Officinis ejusdem supra Montem, cui Monasterium istud incumbit, in lucem sunt dati. Hi omnes septuaginta septem Infantes ex Monasterio, aut Monte delati sunt ad Ecclesiam Parochialem, & ibidem à Parocho baptizati. Imò etiam eo tempore, quo vel ob penuriam Sacerdotum nullus fuit Parochus, aut in loco non residebat, ac propterea per unum, vel plures annos Parochia hæc per aliquem Patrem ex Monasterio, tanquam Provisorem, administrabatur, Infantes Officialium, & familiit ex Monasterio in Urbem, & Ecclesiam Parochialem deportari debuerunt, ut ibidem baptizarentur, à Patre Parochia Provisor: sique practicavit ipsemet hodiernus Reverendissimus Abbas, quando ante aliquot annos Ecclesiam hanc Parochialem administravit; nam Infantem, extra Monasterii muros tum natum, in Ecclesia hac baptizavit; Monasterium enim nec habet, nec unquam habuit Baptisterium, aut Parochiale Matriculam, vel Librum Baptizatorum. Adeoque Jus, Praxis, & Posseffio quieta hujus Juris, per tempus immemoriale continua, pro eadem Ecclesia Parochiali contra Monasterium militat.

2. Interim novus in Monasterium Secretarius venit, qui cum Uxore intra septa ejusdem habitat. Cum natus eidem esset Filius, Frater Puerperæ, Religiosus ejusdem Monasterii, tum voce, tum scripto humaniter Domirum Parochum convenit, ut Infantem natum in Domo Paternâ, intra septa Monasterii, ut dictum est, existente, Sacro Baptismo ablueret, additâ caufâ, Reverendissimum suum non libenter videre Feminarum concursum ad Monasterium, qui fieret, si Infans ex eo in Urbem pro Baptismo deferretur; necesse enim hoc modo fore, ut invitarentur complures ad Actum hunc ex Urbe Fœmina, quæ deinde baptizatum vellent ad Parentes comitari, & consueto Convivio assidere. Movit hæc Ratio Dominum Parochum, qui proinde rescripsit, se dare Licentiam, ut ab aliquo Patrum, non tamen Domi (quippe quod Filiis Principum & Nobilium duntaxat indulgetur) sed in Ecclesia Monasterii Infans baptizaretur.

3. In ea Sententia aliqui ex Patribus Monasterii cum Patre Theologiae ibidem Professore fuerunt, non fulsse opus Licentia Domini Parochi, qui proinde afferuerunt, sibi ipsis competere Jus baptizandi Infantes, intra Monasterii Septa in lucem editos. Quod ubi Dominus Parochus ex Domino Secretario, id sibi referente, resciit, in contrarium coram eodem illico protestatus est. Sed nihil effectit hæc Protestatio; nam altero statim Anno 1725. cùm eidem Domino Secretario iterum nasceretur Filius, memoratus Pater Theologiae Professor, Aquâ Baptismali ex Parochia quadam vicina afferri jussa, eundem Infantem, Parocho non requi-

sito, quin necessitas ulla ad hoc urgeret, solummener baptizavit.

Hoc ubi comperit Parochus, credens Juramentum, in editione Parochie à se depositum, Religione obstrictum se esse, Protestationem, quam Anno priore coram Secretario fecit, Reverendissimum Abbatem accedens, repetit. Sed Responcionem Categoricam primum post trium Mensium lapsum accepit in scripto per Patrem Religiosum è gremio. Hoc Responso Reverendissimus contestatus est, se Actum hunc baptizantis Patris non approbasse, ut proinde impostorum Pater ille nihil tale ausurus sit. Imò, cùm sequente anno 1726. eidem Secretario tertius nasceretur Filius, de expressa dicti Reverendissimi Abbatis voluntate, ille in Rheda cum Patrino, & Obstetricie in Urbem ad Sacramentum Baptismi, à Domino Parocho accipiendum, delatus est, quem proinde idem Dominus Parochus in Ecclesia Parochiali contulit.

Credebatur finita esse Controversia; sed nova hujus Puerperii occasione enata est. Petuit Dominus Parochus, ut & Puerpera post egressum pro Purificatione, & Benedictione Ecclesiam Parochialem accederet, nixus tum Jure, juxta quod Jus benedicendi Puerperas Juri baptizandi annexum, & accessorium est, tum consuetudine plus quam centenariâ loci, quippe cùm haec tenus omnes reliqua Puerperæ, domesticorum Monasterii Uxores pro eadem Purificatione ad Ecclesiam Parochialem descenderint. Sed auditus non est: imò eo ipso tempore, quo idem Dominus Parochus alia ex causa erat in Monasterii Foro Publico, ipso inspectante, Puerpera cum Filio per idem Forum perirexit ad Ecclesiam Monasterii, pro Purificatione, & Benedictione, à Patre Religioso accipiendo. Cùm Dominus Parochus de hoc Puerperam in eodem Foro convenisset, ista respondit, se id facere jussu Reverendissimi, sibi per P. Priorem indicato. Exploraturus veritatem hujus responsi Dominus Parochus ipsum Reverendissimum adiut, qui quidem negavit, id suo mandato factum esse, de Jure tamen benedicendi Puerperam constanter contradixit.

Improbavit Actus istos Monasterii Reverendissimus Vicarius Generalis Ordinarii, quod etiam Literis ad Reverendissimum Abbatem datis commonistravit. Verum ex parte dicti Monasterii saltem in futurum pretenditur non tantum Jus baptizandi Infantes Familiarium suorum, sed etiam afflendi sitorum Nuptiis, Mortuos sepelendi &c. idque vi Privilegiorum Cassinensis, quorum communicationem Sanctissimus præterito Anno 1726. toti Congregationi Benedictinæ, cui Monasterium, de quo hic agitur, adscriptum est, fecit: de cuius tamen Communicationis vi, an se extendat etiam ad Actus hos exercendos cum Praedium tertii, & præcipue Ecclesia Parochiali,

4.

5.

6.

alis, quæ in hoc loco respectu Familiarij Monasterii quoad Jus baptizandi, assistendi Matrimonio, sepeliendi &c. est in Possessione immemoriali, dubitat ipse Reverendissimus, qui propterea Romam, & ad Monasterium Cassinense scripsit, petiitque Resolutionem dubii, quoniamque Privilégia Cassinensis sese porrigit.

QUESTIO I.

Ad quem extra necessitatis Casum pertineat Jus administrandi Baptismum?

RESPONDEO. Si nulla necessitas utitur, licet solùm Parochianorum suorum Parvulos baptizat Parochus loci, & eo Superior Episcopus; nam, esto, quilibet Sacerdos in Ordinatione sua factus sit idoneus Minister Baptismi, ad licitum tamen hujus Potestatis usum indiget, ut sibi Jurisdictio, & Regimen Ecclesiae concedatur; alias injurias erit Ecclesiae, si in illius Membrum admittat aliquem, nullam in Ecclesia Jurisdictionem habens.

Vasq. D. 147. c. 3. Coninck. q. 67. art. 5. dub. 1. n. 11. Laym. l. 5. tract. 2. c. 7. n. 2. concl. 2. Palao tract. 19. D. un. p. 9. n. 2.

Et quidem Baptismus conferendus est duntaxat in Ecclesiis, ubi sunt Fontes Baptismales, ad hoc specialiter deputati, adeò, ut Navar. Man. c. 22. n. 7. putet, peccari mortaliter, si alibi, quam in Ecclesia administretur Baptismus

ob Clem. un. de Baptism.

Excipitur tamen 1. Si fuerit prudens timor, præsumptio, & conjectura periculi, ne Infans decadet sine Baptismo, vel etiam ne contrahat morbum, si ad Ecclesiam defteretur.

Gobat. tract. 2. de Sacram. n. 498. König ad tit. de Bapt. n. 12. ¶ locus. in fin.

2. Nisi fuerint Filii Regum, aut Principum; nam his Clem. cit. conceditur, ut Domi suæ baptizari possint. Quod etiam Engl. ad tit. cit. n. 11.

3. Extendit ad alias Personas Illustres, & Potentes, si talis in aliquo loco Consuetudo vigeat.

Ex quo sequitur, quod absque Licentia Parochi proprii, & extra Casum Necessitatis, nullus Sacerdos extraneus, etiam Regularis, secluso Speciali Privilegio, administrare Baptismum licet posse; nam, ut vidimus, hujus Administratio ad proprium Parochi Officium spectat: ut proinde graviter peccent Parentes illi, qui Prolem suam alteri Sacerdoti, etiam Parochio, sed non proprio, absque licentia, à Parochio proprio accepta, baptizandam offerunt; quia cooperantur peccato alieno sine licentia Parochi proprii Subditum alienum baptizantis.

Laym. n. 2. cit.

R. P. Schmalzgrueber Confil. Tom. I.

QUESTIO II.

Ad quem spectet Purificatio Mulierum post Partum?

Videtur, quod ad eam in propriis Ecclesiis admittere Mulieres possint etiam Religiosi,

IO.
Rationes dubitandas

prout volunt Lezan. qq. Regul. tom. 1. c. 12. n. 41. Peyrin. de Privil. Minim. tom. 2. in Const. 7. S. Pii V. Pasqualig. ad Laurret. de Franch. p. 2. q. 69. n. 2. Cesped. de Exempt. Regul. c. 7. dub. 152. n. 12. Wiesner. adit. de Purif. post part.

1. Quia Admissio Mulierum post partum ad Purificationem non est Functionis Parochialis. 2. Quia Purificatio haec non est necessitatis, sive præceptus, sed Devotionis Actus. 3. Quia sic in specie declaravit S. Congr. Concil. 2. Jul. 1620. ad 1. ubi expresse dicitur: *Regulares non prohiberi in eorum Ecclesiis Mulieres post partum ad Purificationem admittere. Sed*

DICENDUM, Ubi Consuetudo contrarium non præscripsit, vel de hoc non adest speciale Privilegium, Regulares in suis Ecclesiis non posse admittere Puerperas pro Benedictione post Partum, sed quo ad ipsos soli Parochio id privativè competere. Ita

II.
Deciditur
Quæstio.

Lauret. de Franch. Contr. int. Episc. & Regul. p. 2. q. 69. n. 1. Nicol. in Floto. V. Parochus. n. 17. Pignatell. tom. 5. consult. 76. n. 2. & seqq. Monacell. p. 1. tit. 10. form. 18. n. 10. & duob. seqq. & apud hunc respondit S. Congr. Concil. in Antwerp. 19. Novemb. 1662. & S. Congr. Visit. Apost. in Romana Jurium Parochialium. 15. Sept. 1695. & 23. Jan. 1698.

in qua, articulo Partibus informantibus bene discussu, decimum fuit, Benedictionem Puerperarum spectare privativè ad Parochum S. Nicolai in carcere ad exclusionem Ecclesiae, & Ministrorum Hospitalis B. MARIAE Consolationis.

Rationem præter alias Pignatell. & Monacell. l. cit. dant istam; quia Benedictio haec, cum fiat cum Superpelliceo, Stola, & Aquâ Benedictâ, ac cum Oblatione Candelæ, quæ sunt Signa Jurisdictionis, ad solum Parochum, intra fines Parochia suæ Jurisdictionem, & fundatam in omnibus Oblationibus intentionem habentem, spectare debet.

Ex quo patet Responsio ad 1. Argumentum Sententiae opposite. Ad 2. etiam Benedictio Nuptiarum est de Confilio

Trid. sess. 24. c. 1. de reform. Matrim. & probat Navar. Man. c. 22. n. 83.

& tamen à proprio Parochio fieri debet. Idem dicendum videtur de Benedictione Ovorum, & tantò magis Domorum, cum fiat extra Ecclesiam in Parochia, in quam non possunt se intromittere Regulares; sed habenda est

12.

13.
Respondetur ad rationes dubitandas

Kk kk 2

est

628 CONSILIOUM LVIII. JURIS BAPTIZANDI.

est Ratio Consuetudinis legitimè intro-
ducta

juxta c. fin. de Consuet.

Ad 3. Respondet Pignatell. l. cit. n. 17. De-
clarationem illam emanasse vigore Concor-
diae inter Parochos, & Regulares Civitatis
Bononiensis, & vigore Consuetudinis le-
gitimè præscripte: consequenter extra Ci-
vitatem Bononiensem Declaratio hæc vim
suam non extendit.

QUÆSTIO III.

*Ubi sepeliendi sint Sæculares,
qui deceperunt intra Septa Monaste-
rii, nullâ sibi electâ Se-
pulturâ?*

I4. *M*ulti Doctores, nominatim
Rationes Dubitandi.
Lezan. tom. 2. V. Sepultura quoad Regu-
res. n. 47. Bonacini. tom. 1. de Sacram.
D. 4. q. 7. p. 2. n. 10. Barbos. de Offic. Pa-
roch. c. 20. n. 22. Donat. prax. Regul. t. 6.
3. tract. 10. q. 22. n. 6. Samuël de Sepult.
disquis. 4. contr. 15. n. 35. & 55. & alii
apud Card. Petra tom. 2. Coment. in Const.
Apost. fol. 273. n. 45.
volunt, eorum Corpora debere sepeliri in Ec-
clesia Monasterii Regularium, ubi decedunt:
quod probant 1.
ex Can. placuit. I. c. aus. 16. q. 1.

*ibi: Vel si fortuitò quenquam advenientium
Fratum ibi mori contigerit, ubi sub nomine
Fratum Donatus, Lezana, & alii istius Sen-
tentia Patroni intelligendum putant quem-
cunque advenam Sæcularem, ut, si mori-
eum contigerit in Monasterio, ibidem recipi
ad Sepulturam possit. 2. Quia Jus tu-
mulandi plurimum dependet à Jure admini-
strandi Sacra menta, ut adeò, hoc Jure con-
cesso, tanquam majore, etiam prius, tan-
quam minus, concessum merito censeatur.
Atqui Regularis habent Jus administrandi
Sacra menta iis, qui intra Septa Monasterio-
rum suorum commorantur. 3. Tales
persona dicuntur esse extra Territorium Pa-
rochi, & in Territorio exempto. Ergo,
sicut Parochus nullum Jus potest habere cir-
ca Defunctum, qui obiit in aliena Parochia,
ita nec circa eum, qui obiit in Monasterio,
habente Exemptionem localem.*

I5. *D*eciditur Quæstio.
Sed his non obstantibus, DICENDUM,
de Jure Communi, & præscindendo à Spe-
cialibus Ordinum, & Monasteriorum Privil-
egiis, quemvis exterum, in Monasterium,
vel intra hujus Septa receptum, sepeliendum
probabilius esse non in Ecclesia Monasterii,
ubi decessit, sed in Parochiali, intra cuius
fines est Monasterium, si Defunctus pro-
priam Sepulturam non habeat, vel ad eam de-
portari non possit.

Ita Lavor. Elucubr. Canon. tit. 2. c. 12. n.

145. Pignatell. tom. 1. consult. 306.
Antonell. de Regim. Eccl. l. 1. c. 12. n. 21.

Passerin. tom. 2. de Stat. hom. q. 187. art. 4.
n. 230. Trullench. de Jur. Paroch. c. 9.
dub. 1. n. 5. Card. Petra tom. 2. c. fol. 275.
n. 47. & seqq. Mattheucci. Official. Cur.
Eccles. c. 48. n. 14. & extant circa hoc
complures Declarationes S. Congreg.
in Ravennatensi. 20. Jan. 1674. in Ripana
3. Nov. 1652. & novissime decimum est
ab eadem 3. Febr. 1694. Colligitur
etiam ex c. in nostra. 10. de Sepult. ubi ex-
presse cavetur, non posse Regulares se-
pelire, nisi eos, qui vere ibi Sepul turam
elegerint.

Ad Argumenta contraria facilis est Respon-
sio. Ad 1. Verba illa Can. cit. intelligi de-
bent de Monachis alterius Monasterii, prout
advertisunt

Turrecrem. ibid. Host. in c. 7. de Sepult.
Passerin. l. cit. n. 230. Card. Petra. cit. n.
49. circa fin.

& colligitur ex antecedentibus allegati tex-
tus; loquitur enim prius de Fratre Mono-
acho in Monasterio commorante: & sic ex
Contextu Interpretatio exurgit, quod dein
Sermo sit de Fratre Monacho adveniente.
Ad 2. Id Argumentum stringit fortasse in
Casu, quo constat de Privilegio hujusmodi
Exteris administrandi Sacra menta: extra
hunc Casum, sicut Sepultura, ita & Admi-
nistratio Sacra mentorum, tali Laico facien-
da, prohibita Regularibus est, prout con-
stat

*ex Clem. I. §. 1. de Privil. & Trid. Jeff. 24.
c. 3. de reform.*

Ad 3. Monasterium Exemptum, licet non
sit de Dioceesi, est tamen situm in Dioceesi,
& sic advena, vel alias Sæcularis, in eo
existens, dicendus est existere in Parochia, in
tra quam Monasterium situm est.

QUÆSTIO IV.

*An Regulares, qui non sunt
Parochi, nec à Parochio Licentiam habent,
possint solennizare, seu solenniter bene-
dicere Matrimonia Familiarium suo-
rum, intra Septa Monasterii
habitantium?*

REspondeo, Non posse; nam
ex Decreto Trid. Jeff. 24. c. 1. de reform.
Matr. §. præterea.

Benedictiones Matrimoniales impendenda
sunt à Parochio proprio, & à nullo alio, nisi
de Licentia Ordinarii, vel parochi. Proce-
ditque hoc, sive Sacerdos ille, qui Spon-
sis Benedictiones hujusmodi impetrari præ-
sumit, sit Regularis, sive Sæcularis: Et ve-
rum est, etiamsi id sibi ex Consuetudine im-
memoriali, vel Privilegio licere contendant;
nam hujusmodi Consuetudines, & privile-
gia per memoratum Tridentini Decretum
sublata sunt. Unde necesse est, ut, qui per
obtentur Privilegii quoad hoc se vult de-
fenders,

fendere, illud datum, vel renovatum sit post Tridentinum.

18. Longe magis hoc verum est de eo, qui cum non sit Parochus alterius Sponsorum, sine licentia Parochi, vel Ordinarii assistit ipsi Contractui Matrimoniali; nam Matrimonia hujusmodi, sine Parocho proprio, & testibus contracta, sunt ipso Jure nulla, & irrita Jure Tridentini.

sess. 24. c. I. de Reform. Matrim.

ibi: *Sancta Synodus* -- hujusmodi *Contractus irritos*, & nullos esse determinit &c. ita, ut defunctum Parochi non suppleat quicunque numerus testium; quia Tridentinum *I. cit.* praesentiam Parochi, & testium indivisim exigit. Item sic contrahentibus non patrocinatur, quod bona fide ita contraxerint, quod ignorarint hanc Ecclesia Legem,

ut recte Guttier. *de Matrimon. c. 61.* à *n. 10.* Sanch. *I. 3. de Matrim. D. 17.* *n. 10.* Pont. *I. 5. de Matrim. c. 6. n. 16.* Coninck *D. 27. n. 11.* Palao *tract. 28.* *D. 2. p. 13. §. 8. n. 7.* Pirbing *ad tit. de Clandest. Despons. n. 6.* Engl. *n. 19.* Schambog. *n. 8.* Wiestner *n. 26.*

quia, licet invincibilis ignorantia eos excusat a peccato, Matrimonium tamen validum non potest reddere.

19. Porro iis, qui alienos Parochianos Matrimonio conjungere, aut benedicere sine propria Parochi licentia ausi fuerint,

per Clem. Religioſ. I. de Privileg.

infligitur pena Excommunicationis, ipso facto incurenda, extra mortis articulum Pontifici reservata: cui Trid.

c. I. cit. §. quod si quis.

addidit, ut tales sint ipso Jure suspensi donec ab Ordinario Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu a quo suscipienda erat Benedicatio, absolvantur.

QUÆSTIO V.

Utrum Privilegia Congregatio-
nis Cassinensis, & eorum, qui in illis cum
hac communicant, se extendant ad Jus ba-
ptizandi, sepeliendi, & assistendi Ma-
trimoniis Familiarium
suorum?

20. DE Jure sepeliendi pro certo habeo, quod illud dictæ Congregationi, & communicantibus cum ea competit; nam hoc Jure sepeliendi Fideles in Templis, & Cœmeteriis suis ex Privilegio, quod primò

per Clem. dudum. 2. §. hujusmodi, & Extrav. super Cathedram. 2. §. hujusmodi quoque, int. comm. de Sepult.

datum est Ordini Prædicatorum, & Minorum S. Francisci, successu temporis alijs eti-

am Religiosis communicatum fuit, proueniant

Molin. *tract. 2. de J. & J. D. 214. n. 21.*
Donat. *tom. 3. Prax. Regul. tract. 9. q. 8.*
n. 2. Pirbing. *ad tit. de Sepult. n. 30.*
Wiestner *ibidem n. 18.*

Proceditque hoc non tantum de Familiaribus, qui intra Septa Monasteriorum habitant, de quibus plerique Ordines Religiosi speciale Privilegium habent, sed etiam de Extraneis, si apud ipsumsos Sepulturam elegent: quorum proinde Corpora non est necesse prius deferre ad Ecclesiam Parochialem (quia Jus hoc Religiosis datum est liberum, i.e. sine ulla contradictione, ut dicitur Clem. cit.) sed immediate deferri possunt ad Ecclesiam Monasterii, ita quidem, ut, si Presbyteri Parochiales admoniti ad hanc Corpus defuncti deferre renuant, ipsumsos Regulares, etiam contradicente Parocho, vel Episcopo, illud levare, & deferre ad Ecclesiam suam possint, ut recte aliis cit. advertit Pirbing. *I. cit. n. 31.*

Intelligendum tamen hoc est, salvâ portione Canonica Parochiali, quæ de Jure est quarta pars eorum, quæ occasione funeris, & sepulturæ Corporis obvenerunt Ecclesiæ, in qua ejusmodi Corpus tumulatum est.

c. cum super. 18. de Sepultur.

Nam haec etiam à Monasteriis, nisi ab ea praestanda per speciale Privilegium Apostolicum exempta sint, Ecclesiæ Parochiali, in qua defunctus alioquin spelunc debuisset, solvi debet;

c. nos instituta. I. de Sepultur.

ubi etiam datur ratio, quia dignus est Operarius mercede sua I. Tim. 5. v. 18. & qui fuerunt passionum socii, esse debent & consolationum. 2. Corinth. I. v. 7. Cum igitur Parochus sustineat onus celebrandi Officia Divina, & Parochianis suis, dum vivunt, Sacraenta, aliisque Spiritualia ministrandi, æquissimum erat, ut eidem præstaretur saltem portio eorum, quæ occasione funeris, & Sepulturæ alicujus Parochiani Monasterio, vel Ecclesia alteri extraneæ obveniunt, ne debitum sibi subsidiis defraudetur.

Quod ad Jus baptizandi parvulos, natos ex Familiaribus Monasteriorum dictæ Congregationis attinet, nuspian legi illud datum esse Congregationi Cassinensi, & cum hac communicantibus, nisi in Ecclesiis suis ex Privilegio etiam habeant Fontem Baptismalem; nam, ut Num. 8. dictum est, Baptismus conferendum est tantum in Ecclesiis, ubi sunt Fontes Baptismales, ad hoc specialiter deputati. Idem dicendum de Jure assistendi Matrimoniali, & haec benedicendi. Imo si hoc Jus antiquitus per Privilegium Apostolicum fuisset concessum eidem Congregationi, postea tamen per Tridentinum ut Num. 17. fuisset revocatum; nam per memoratum Concilium omnia hujusmodi pri-

22.

vile

Kk kk 3

CONSIGLIO LVIII.

630

vilegia, & Consuetudines, etiam immemoriales, sunt abrogatae, solique Parochio proprio, nullique alteri Sacerdoti, nisi de licentia Parochi, vel Ordinarii, data potestas haec est: ut adeo pro usu hujus privilegii, si antiquitus competit est, opus sit nova concessione.

23.

Hinc Congregatio Benedictina vi Communicationis Privilegiorum Cassinensis his Juribus non potest uti, nisi in quantum uti istis de facto potest ipsa Congregatio Cassinensis, cuius privilegia præmemorata Congregationi inducta sunt; nam ad valorem Privilegii *ad instar* (quale esset Communicatio Privilegiorum Cassinensium in Casu præsentis) requiritur necessarium, ut Privilegium illud, ad cuius similitudinem concessum est, valorem, & effectum habeat, & vere sit Privilegium; alias concessio erit nulla.

Suar. l. 8. de LL. c. 15. n. 6. Bonacini.
D. 1. q. 3. p. 7. n. 10. Palao tract. 3.
D. 4. p. 2. §. 8. n. 2.

Ratio est, quia, cum Privilegii *ad instar* totum esse sit illud aliud, sequitur, si istud effectu caret, etiam Privilegium *ad instar* effectu caritum; censetur enim Princeps concedere communicationem hujusmodi privilegiorum, prout illa defacto vigent.

24.

Cum ergo Privilegium assistendi Matrimonii, & ea benedicendi per Tridentinum sit generaliter revocatum quoad eos, qui Parochi proprii non sunt, nec à propriis Lentianam habent, neque Congregatio haec vi Communicationis prætendere Jus istud poterit, nisi, ut dictum est, Privilegium hoc denovo confirmatum sit post Tridentinum, aut Pontifex in concessione Communicationis sufficienter exprimat, quid concedat e. g. dicendo, *Concedo tibi potestatem hanc, vel illam, puta, assistendi Matrimonio, prout haber Congregatio Cassinensis;* tunc enim probabilius Privilegium, *ad instar* concessum, non erit nullum, licet illud quoad Congregationem Cassinensem sit revocatum. Ratio est, quia illud *sicut habet Congregatio Cassinensis*, non videtur apponi ut Conditio, sed ut exemplum. Proinde disparitas est inter Privilegium datum *ad instar*, quando simul explicatur, quid concedatur in Privilegio, & inter datum *ad instar*, non expresso modo Communicationis; nam hoc secundum necessarium nullum est, cum nesciat Privilegiatus, quid ipsi concedat dans Privilegium, nisi Privilegium, *ad instar* ejus datur, existat.

25.

Non poterunt igitur Regulares, ubi Parochi officium non exercent, familiarium suorum Matrimonii assistere, vel illa benediceere, sine speciali, & novo Privilegio, post Tridentinum concesso.

Suar. tom. 4. de Relig. tract. 10. l. 9. c. 4. n. 19. & duob. seqq. Lezan. Summ. qq. Regul. vol. 1. c. 16. n. 18.

JURIS BAPTIZANDI

Proceditque hoc, etiam si tales Regulares haberent Privilegium iisdem Familiaribus administrandi reliqua Sacra menta; nam, ut idem Lezan. l. cit. Sacramentum Matrimonii propriè non administratur à Sacerdote assistente, sed ipsi contrahentes sunt Ministri ipsi.

QUÆSTIO VI.

An, si ad actus predictos Privilegia Cassinensis se extendant, Communicatio illorum intelligenda sit illimitata, & cum præjudicio tertii, cui Jus ad illos exercendos quæsum est vel de Jure communis, vel de Consuetudine immemoriali, ut quæsum est in Casu præsenti Parochio?

Respondeo, hic notandam esse communem doctrinam, quæ distinguit inter Privilegia, quæ sunt contraria Juri tertii, vel Statuto, & Consuetudini particulari; & inter Privilegia, quæ derogant Juri communis. Ut Privilegia, Juri tertii, vel Statuto, aut Consuetudini speciali contraria, vim habeant, addi debet Clausula derogatoria hujus Juris, Consuetudinis, & Statuti.

Suar. l. 8. de LL. c. 14. num. 8. & c. 22. n. 14. Sà V. Gratia num. 14. Palao tract. 3. D. 4. p. 10. n. 4. & sumitur ex c. licet. 1. de Confir. in 6.

Absque tali Clausula autem Privilegium, quod cedit in notabile præjudicium tertii, & huic Jus quæsum est, vel diminuit, vel nullum erit, vel eatenus solummodo sufficiet, quatenus per usum illius quam minime tertio, Jus tale habenti, prædicatur: erit proinde strictæ interpretationis, quantum proprietas verborum patitur.

Abb. in c. certificari. 9. de Sepultur. n. 9. Suar. l. 8. cit. c. 27. n. 9. & c. 28. n. 10. Sanch. l. 8. de Matrim. D. 7. num. 6. Laym. l. 1. tract. 4. c. 23. n. 6. Palao p. 10. cit. n. 8. Haun. tom. 1. de J. & J. tract. 1. n. 203. Pirhing. ad tit. de Privil. n. 15. Wiestner ibid. n. 34.

Quod ipsum dicendum est de Privilegio, quod derogat Statuto, vel Consuetudini particulari.

Proceditque hoc, et si tale Privilegium concessum sit Motu proprio; quia licet Princeps ex gravi causa, & ob urgenter necessitatem possit alicui Jus suum auferre, non tam facile præsumi debet idipsum velle, cum Jus Positivum, & Naturale postuleat, ut cuique Jus suum illæsum servetur, nisi publica utilitas, vel necessitas aliud petat.

Suar. c. 27. cit. n. 9.

Imb hujusmodi Jura particularia censetur ipse ignorare, nisi hoc exprimat. Unde, cum ignorantis nullus sit consensus, habentur

buntur hujusmodi privilegia, in quantum derogant Juri tertii, Confuetudini, vel Statuto particulari, pro obtentis sub-vel obteptiti, nullamque eatenac habebunt vim.

Arg. c. licet. 12. de Offic. Ordin. c. extuarum. 5. de author. & us. pall. & l. nec Ayus. 4. C. de emancip. liber.

28. Aliter discurrendum de privilegiis, quæ Juri communis derogant; nam, et si probabile sit, etiam ibi requiri Clausulam derogatoriam Juris communis, cui Privilegium tale opponitur, probabilius tamen sufficit ipsa concessio Privilegii sine adjecta tali Clau-

sula.

Gloss. in c. licet cit. V. noscatur. Felin. in c. nonnulli. Regul. 2. fallent. 2. n. 11. de Rescript. Bald. in l. item lapilli. n. 8. ff. de rer. divis. Suar. l. 8. de LL. c. 14. n. 4. & 5. Palaō p. 10. cit. n. 9.

Ratio est, quia Princeps non presumitur ignorare Jus Commune, sed potius illud scire c. licet cit. ergo, dum Privilegium concedit, quod derogat Juri communis, presumitur per tale Privilegium velle eidem derogare; alias nihil omnino concederet, & efficeret actionem inutili.

29. Doctrina tamen haec non est accipienda illimitate; nam suas etiam Exceptiones patitur. Excipitur enim 1. Si tali Privilegio Jus commune resistat; nam si istud resistit derogando, vel revocando hujusmodi Privilegia, debet Privilegio tali, ut effectum habeat, addi Clausula derogatoria Juris Communis; alias nullius erit valoris.

Palaō l. cit. n. 10.

Et ratio est, quia Lex sic fortificata derogat omni Privilegio, non munito Clausula illius Legis derogatoria. Igitur, nisi efficacia Clausula sic fortificantis tollatur per aliam illius derogatoriam, Privilegium, adversus Jus commune datum, habere efficaciam nequit. Neque obstat, quod, ut Num. prædictum est, Princeps non presumatur ignorare illam resistentiam Juris communis; nam, esto, presumatur non ignorare, quia tamen verbis communibus sine Clausula derogatoria concedit Privilegium, presumi simul potest nolle derogare tali Legi sic roboret, sed tantum velle satisfacere importunitati petentium.

30. Excipitur 2. Si, ut hic in Casu praesenti, agatur de Communicatione Privilegii, jam aliis antecedenter concessi. Nam tali casu considerandum est, an Pontifex specificè expresserit Privilegia, in quibus velut communicari, an vero solum in genere indulserit Communicationem Privilegiorum, alteri competentium. Si primum, is, cui facta est talis Communicatio, participat omnia Privilegia, sic expressa, eo modo, quo defacto illa habet ille, cuius Privilegia partici-

pantur, etiam si tendant in præjudicium tertii, modò de hujus Jure præsumatur habere notitiam, qui tales Communicationem indulget. Si secundum, participantur solum privilegia ordinaria, non vero extraordinaria, quæ non solent concedi, vel tantum conceduntur cum magna difficultate, atque ideo Princeps nunquam præsumitur concessurus in specie,

ut ex Ant. de Butrio cons. 19. notat Fagnan. in c. tuarum. 11. de Privileg. num. 24.

Tale Privilegium est, quod eximit à solutione Decimorum præstanda Ecclesiæ Parochiali.

Socin. Jun. in l. 1. num. 43. & 49. ff. de Legat. 1. Butr. cons. 29. num. 9. Natta cons. 4. n. 6. & in terminis resolutum est in Valent. Decimar. 28. Nov. 1603. coram Lancelot. & in Carthagin. Decim. 29. Mart. 1604. coram Penna.

Quod proinde Privilegium in Communicationem generaliter factam non venit. Et universim,

ut Tamburin. tom. 3. de Jur. Abb. decis. 83. n. 6. notat.

Communicationibus non solent comprehendi ea, quæ alii, præsertim Ecclesiæ Parochialibus, quippe quæ sunt in hoc specialiter favorabiles, præjudicium notabile affrent.

Hinc in Casu praesenti considerandus est tenor Indulti, quo concessa est Communicatio Privilegiorum Cassinensium, an scilicet in genere tantum Pontifex dixerit, *Concedo Congregationi Privilegia Cassinensia*, an vero specificè expresserit, in quibus communicare Privilegia ista voluerit dicta Congregatio. Si primum, utilis erit illa Communicatio quoad privilegia illa duntaxat, quæ effectum suum habere possunt sine præjudicio Ecclesiæ Parochialis, & Confuetudinis memoriam hominum excedentis. Si secundum, discernendum est inter Privilegia, quæ concedi communiter solent, & inter illa, quæ vel concedi non solent, vel non nisi cum magna difficultate conceduntur; priora enim duntaxat in Communicationem veniunt, non vero posteriora. Imo quæcunque Privilegia, tendentia in præjudicium Ecclesiæ Parochialis, etiam specificata in Indulso Communicationis, non sunt augenda magis, quam necessitas postulat, ne inutilia efficiantur. Hinc quando concessa est Communicatio Privilegii baptizandi, assistendi Matrimonio Familiarium, eosque sepeliendi, id intelligendum est salvis Juribus Stole Parochialis, quæ proinde, nisi Ecclesia sic privilegiata in Parochiale erigatur, præstari debebunt.



QUÆ-

31.

QUÆSTIO VII.

Si Privilegia Cassinensis se non extendant ad Actus baptizandi, assistendi Matrimonio, & sepeliendi Familiares, & petatur nova Gratia à Reverendissimo Abate ad Actus hos exercendos, an credi possit, Sanctissimum, vel Sacram Congregationem hanc concessurum cum prejudicio Ecclesia Parochialis, habentis intentionem fundatam tam in Jure Communni, quam in Consuetudine immemoriali?

32. Respondeo, Privilgium sepeliendi Familiares, intra Septa commorantes, si istud Monasterium N. non ante jam habet, à Sanctissimo, vel Sacra Congregatione facile obtineri potest, quippe quod, ut Num. 20. dictum est, variis Ordinibus Religiosis haec tenus sine difficultate concessum est. De Stylo tamen Curia Romanæ, nisi aliud exprimatur, Privilgium hoc intelligentum est, salvâ Portione Canonica Parochiali, quæ proinde à Monasterio ex iis, quæ occasione Funeris, in Ecclesiam ejus illati, accepit, praestanda est Parochio, ut dictum est Num. 21. patetque etiam *ex c. certificari de Sepultur. Concordat Rota in Burgon. Privilegior. 1541. Aym. conf. 8.n.8. Decian. conf. 8.n.26. & 27. Castador. decis. 2.de reform.*

33. De Privilgio baptizandi Infantes eorumdem Familiarium obtinendo, credo nullam spem fore; quia ex una parte non constat, quod Privilgium hoc per Sedem Apostolicam ulli concessum sit haec tenus: ex altera vero parte adest Specialis Prohibitionis Clem. I. de privil. à qua Sedes Apostolica non solet recedere. Hinc ad obtinendam Facultatem hanc necesse foret, ut indulgetur Monasterio Fons Baptismalis, qui tamen alteri Ecclesiæ, quam Parochiali, concedi non solet. Neque obstat, quod aliquibus Religionibus, & nominatim Clericis Regularibus Societatis JESU per Constitutionem Pauli III. incipit, *Cum inter. editam 1541. concessa sit Facultas administrandi Penitentiaz, Eucharistiaz, & alia Sacramenta, ex quibus verbis, ne dici debeat, quod redundans aliquid contineant, videtur colligi, quod iisdem Religiosis (consequenter etiam iis, qui in Privilgiis cum iis communicant) hac Constitutione concessa sit etiam Administratio Baptismi, & Extremæ Unctionis.* Nam contrarium indicant verba, *sine alicuius prejudicio, Constitutioni cit. addita.* Præjudicium autem non absulet, si sine Parochorum Licentia Regulares administrare Sacraenta Baptismi, & Extremæ Unctionis vi hujus Privilgiis possent. Proinde verba illa, & alia Sacraenta, in-

telligi debent de Religiosis degentibus in terris Infidelium, & Hæreticorum, Catholicas Parochias non habentibus; nam ibi administrare Sacraenta hæc possunt, & administrando nulli alteri præjudicium inferunt.

Minor spes est obtinendi Privilgium assistendi Matrimonio, illudque benedicendi, nisi ipsa Ecclesia Monasterii erigatur in Parochiale; nam Actus hic Parochialis est, & assistentia proprii Parochi requiritur ad Matrimonii valorem per Tridentinum, cuius Decretis Pontifex per concessionem Priviliorum derogare non solet. Neque aliquid facit, eti Monasterium ponatur esse Parochus Principalis; nam etiam Rector Principali præsente, Vicarius perpetuus administrare Parochiam in Divinis potest ex communi Doctorum. Estque hoc ita verum, ut, eo invito, Rector Principalis in Administrationem Sacramentorum, aliorumque Divinorum se ingerere nec possit, nec debeat, ut alius relatis adverbit

Laym. in c. 3. de Offic. Vicar. n. 2.
Ratio est, quia tota Potestas Parochialis, & Cura Animarum, per Sacramentorum, & aliorum Divinorum Administrationem ex Officio exercenda, in actu residet penes Vicarium; Principalis autem eam non nisi in habitu retinet. Exercere autem Curam, & ea, quæ Curæ annexa sunt, nemo potest, nisi qui Curam in actu habet. Ergo &c. Excipitur, si Parochia illa pleno Jure incorporata esset Ecclesia, cuius Caput est Rector Principalis; tunc enim tota Cura tam actualis, quam habitualis in Ecclesia incorporata esset penes Rectorem Principalem, & is, qui loco ipsius Parochiam administrat, est solum Cooperator illius in ea Ecclesia: unde sicut Cooperator Parochum suum à Divinorum Administratione impedire non potest, ita nec Rectorem Principalem ejusmodi Vicarius.

Facilius obtentio horum Jurium sperari potest per viam Divisionis, quam certa pars Districtus Parochialis separatur, & Ecclesia Monasterii erigitur in Parochiale, cui deinde subsint Habitantes in ea parte Districtus. Veruntamen talis Divisione à S. Congregatione, & ipso Pontifice non solet fieri, nisi ex justa causa, & auditis illis, quorum interest, scilicet Parochio, & Parochianis, de quorum Parochia dividenda agitur. Causa justa, & legitima Divisionis est unica, nimis rara, quod, hac seclusa, obligationibus Parochiæ incumbentibus satisfieri non possit.

Palao tract. 13. D. 6. p. 9. §. 10. n. 4. Leu. ren. p. 3. For. Benefic. q. 9. §. 8. n. 1.
In præsenti Casu causa ista locum non habet; quia constat, haec tenus à Parochio unico satisfieri potuisse, & satisfactum esse omnibus obligationibus Curæ Pastoralis. Unde neque per hanc viam spes est obtinendi Jura baptizandi, & assistendi Matrimonio Familiarium, à Monasterio solicitata.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

An, posito, quod Sacra Congregatio, vel ipse Sanctissimus Communionem Privilegiorum Cassinensem, aut novam Gratiam faciat expresse cum Derogatione Juris Parochialis, sperari possit limitatio, aut revocatio Concessionis, in quantum derogat Juri Parochiali?

36. Respondeo. Si ad concedendam hanc novam gratiam procedatur via ordinaria, non esse periculum, ne hujus concessione inferatur præjudicium notabile, & grave Ecclesiæ Parochiali; semper enim hujusmodi Gratia concedi solent cum Clauſula, Salvâ Justitiâ Ecclesiæ Parochiali. Hinc, ubi addita est talis Clauſula, Gratia concessa non est extendenda ad id, quod prædicat Parochiali Ecclesiæ, sed hujus Jura manent integra, ita, ut nihilominus debeantur Parochio Reditus Stolæ eo modo, ac si ipsem et hoc peregrisset. Excipitur, nisi per novam illam Gratiam factâ fuissest divisio Parochia, & ipsa Ecclesiæ Monasterii per hanc erecta in Parochiale: quo tamen caluſ plerumque Ecclesiæ Parochiali antiquæ reservatur certa aliqua Pensio annua, ab Ecclesiæ Parochiali novâ solvenda.

37. Si tamen absque divisione, concederetur Monasterio Privilegium Baptizandi infantes

Familiarium, & horum Matrimonii affiſtendi, cum expressâ derogatione Juris Parochialis (quod tamen secundum dicta Num. 33. & 34. sperari non potest, cum non conſet, tale Privilegium unquam fuisse conſefsum à Sede Apostolica) attendendum erit, an Concessio argui poſſit de Ob-vel Subreptione ex taciturnitate veri, aut assertione falsi in Supplicatione, pro hac Gratia obtinenda oblatâ, interveniente. Si Vitium hoc Ob-vel Subreptionis adfit, eo probato, facilē impetrari poterit hujus Concessionis revocatio, vel saltē limitatio eō usque, ut salva maneant Jura Parochialia Parochio; nam Rescripta Gratiae, si Ob-vel Subreptione impetrata sint, ipſo Jure sunt irrita.

per textum c. ad audientiam. 31. de Reſcript. c. ſi motu. 23. de Prabend. in 6. & Clem. i. eodem.

Idem dicendum, si divisio Ecclesiæ Parochialis, & Ecclesiæ Monasterii in novam Parochialem erecțio cum ſimili vicio obtenta fit. Ita autem obtenta probabitur, si ostendatur, propositam fuisse causam falſam, aut veram quidem, sed non legitimam, ſi, dum de ea facienda agebatur, non auditus est Parochus &c. tali enim caſu ſuppliari Sedi Apoſtolice poterit, ut examinetur Causa, pro diuſione facienda in Libello proposita, & ſi inſubſiſtens reperiatur, revocetur diuſio.

38.

CONSILII LIX.

In Causa Dispositionis Paternæ inter
Liberos cum onore Fideicommissi.

SUMMARIUM.

1. 2. Facti Species.
3. seqq. In Testamento Patris inter Liberos Privilegiato nulla persona extranea, ne quidem Mater institui potest absque ullis ſolennitatis.
7. Eſt tamen tale Testamentum ſi absque ſolennitatis fiat, ſolummodo invalidum quo ad Personam admixtam.
2. 9. Ino ſi admixtio cedit in favorem Librorum, valebit etiam quoad personam extraneam.
10. 11. Requisita ad valorem Testamenti Paterni inter Liberos.
12. Responſo ad Argumenta oppoſita.
13. Describitur Fideicommissum Familia.
14. Differentia inter Primogenitaram, & Majoratam.
15. 16. In praesenti caſu censetur conſtitutus Majoratus.
17. Majoratus uni tantum Persona defertur, excludens aliis.
18. Majoratus aut Primogenitura per mortem Possessoris tranſit ad proxime vocatum absque alia traditione aut apprehenſione.
19. Defectus Legitima aliis Liberis ſuppleri debet ex Fideicommissio.
20. Et hoc ſupplementum etiam petere poſſunt hæredes ejus, qui plenam Legitimam non accepit.
21. seqq. Fideicommissarii licet poſſunt inter ſe tranſfigere de Fideicommissio: ſcilicet quando mens Testatoris eſt dubia.
25. Contra claram mentem Testatoris Filii non poſſunt inter ſe pacisci in præjudicium Successorum ſuorum.
27. seqq. Minoris notabiliter laſo competit beneficium Reſtitutionis in integrum.